



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolvtiones Lvtherianae Svper Propositionibvs Svis Lipsiae Dispvttatis

Luther, Martin

Vvittenbergae, 1519

VD16 L 5795

Con: XI. Dicere indulgentias esse bonu[m] Christiano, est insanire, sunt e[...] verissime operis boni vitiu[m] & improbare indulgentias, debet Christianus ob abusum, quia d[...] dicit, propter me ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-32453

Q. si dixeris, applicare tñ pōt merita Christi, quo volēs.
Respondeo. Merita Christi sunt grā & veritas, siue dentur siue
vendantur, siue dispensent, siue applicent. Nō enī sūt aliud, q̄
merita Christi, in quocūq; eorū vsu, ideo sicut nec dare, ita nec
applicare ea pōt homo, dicas quid velis.

Rursum dices ministerialiter dat merita Christi, Hęc con-
cedo, sed non p indulgentijs, quia indulgentijs sunt contrarię
meritis Christi. Merita Christi sūt gratia & veritas, q̄ faciūt me-
liorem in spū, & sanctiorē eū qui consequitur. Indulgentijs vō
nihil boni conferūt in spū, sed remittūt bona spūs contra me-
rita Christi. Quare ipsi viderint sua verba & vsu suum, Ego,
salutē eorū reuerentia, dico q̄ vt verba sonant, Merita Christi
non esse posse thesaurū indulgentiarū, sed contra, thesaurū im-
positionū & penarū terendarū, oīo cōtraria indulgentijs.

Ideo fatēor ea conferri ministerialiter in absolutione culpe,
ibi enī res spūs agitur, ibi merita Christi operant ad verbū sa-
cerdotis, si credat peccator, alias nequa q̄.

Quare declaratoriā illā nō damno, sed suo sensu eam re-
linquo. Si autē aptata fuerit, vt contra p̄dicta militet, respuo &
postulo, vt reddatur ratio dictorū. Deinde ostendatur p̄tās fa-
ciendi articulos fidei, aut p̄feratur pbata reuelatio, nudis ver-
bis prohibet me Paulus credere.

CON: XI.

Dicere indulgentias esse bonū Christiano, est in-
sanire, sunt enī verissime operis boni vitii & im-
probare indulgentias, debet Christianus ob abu-
sum, quia dñs dicit, propter me deleo iniquitates
tuas non propter pecunias.

Propheta ps xliij. appellat, insanias falsas hoīm doctrinas,
quibus colitur deus, contēpro eius mandato, q̄to magis insa-
niūt hī, qui cū indulgentijs sint remissiones bonorū operū, &
salubriū penarū, audeant hęc bona p̄ferri Christiano, cuius
bona sunt, esse plenum bonis operib⁹ & penis crucis, imagine
dñi sui Christi.

Deinde semper sunt vitiiū opis, dum non daretur id quod
datur, nisi indulgentias scirent reddendas, ita propter malum
suum, seu minus bonum, faciunt bonum suum, vbi certū est,
quod non queritur deus, sed ipse homo.

Tenta & videbis me verū dicere, Nā in Italia vbi gratis sunt indulgentiæ passim expositæ, nemo eos curat, In Germania contra, nisi des, eas nemo tibi dabit, ita mirum est ingenium indulgentiarum, quod aliter in Italia, aliter in Germania regnât.

Hanc propositionem Iohan: Eccius Lipsiæ impugnavit, sed ita, ut in sibi pene ierint uniuersæ indulgentiæ, neque ipse enim visus est eas magnifacere, atque utinam iam diu sic fuissent commensurate, sicut ab Eccio nostro sunt commendatæ, minus rapinarum & spoliatorum Romana avaritia tulisset e Germania, tum non ita irrisissent Germanorum barbaram ruditatem Romanenses populorum illusores, Cætera in resolutorio.

CON: XII.

Papam posse remittere omnem penam pro peccatis debitam huius & future vite, & quod indulgentiæ pro sunt non criminosis, somniat secure indoctissimi sophistæ & pestiferi adulescentes, non tamen vel nutu possunt ostendere.

Et hanc nemo aggressus adhuc, quem viderim propter propositionis Eccianæ ventum, ad quem non est secuta pluuia.

Verum quia & hæc est contra nouissimam declaratoriam, quæ dicit, Ecclesiam remittere poenas pro peccatis secundum iustitiam diuinam requisitas. Hic dico.

Sæpius dixi, Ecclesiam nihil posse contra iustitiam diuinam propter orationem, nisi equiuoce iustitiam diuinam accipias.

Nam mihi nullum dubium est, penas quas Ecclesia requirit a peccatore, simul requiri a iustitia diuina, per pactum quem fecit cum Ecclesia dicens, Quodcumque ligaueris super terram, ligatum erit & in caelis. Vbi clare dicit ligari apud se, quod in Ecclesia ligatum est & ita consonat iustitia Ecclesie & dei super peccatore. Verum hoc modo non habet usus loquendi, quod per iustitiam diuinam intelligit aliam seorsum extra pactum iustitiam dei, secundum quam Ecclesia non imposuit aut imponit. De hoc, dico, si declaratoria loquatur, non ei credam. Sinam tamen esse opinionem, sicut & sumpra est ex opinionibus. Nam ut dixi, nouos fidei articulos non recipio a quocumque statuant, nisi assit probata reuelatio. Nec declaratoriam articuli cuiuscumque, nisi per diuinas scripturas declarauerit. Quarum ne syllabam quidem habet ista declaratoria Iuristica magis quam Theologica.